Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Theses juridicae inaugurales

https://hdl.handle.net/1874/313271

THESES
JURIDICAE INAUGURALES.

8.

THESES
JURIDICAE INAUGURALES,

QUAS,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HENRICI EGBERTI VINKE,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN

JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

JANUS DE FREMERY,

Rheno-Trajectinus.

A. D. XXVIII M. JUNII A. MDCCCLIV, HORA II.

TRAJECTI AD RHENUM,

APUD L. E. BOSCH ET FILIUM ET VIDUAM P. MUNTENDAM ET FILIUM.

MDCCCLIV.

THESES.

I.

Inutiliter legatur: Si Maevius voluerit, Titio decem do; nec adversatur Ulpianus in legibus 1 D. pr. de leg. II, 43 § 2 D. de leg. I, et l. 46 § 2 D. de fideic. libert.

II.

Paulum Lib. 4 Tit. 9 ad Sc. Tertullianum § 5 doctrinam Hippocratis et Pythagorae de partu humano, inepte permiscuisse vel saltem conjunxisse, defendo.

III.

Virum egentem ipsum maritum esse cui jam nunc

nupta est, probabilior mihi L. 73 § 1 D. de jure dot. sententia esse videtur.

IV.

Servitutum evictionem praestari secundum regulas quae de vitiis qualitatibusque praestandis praecipiuntur, elegantiorem jurisprudentiam esse, defendo.

V.

Spectatores jure arcentur a matrimonio in domo privata celebrando.

VI.

Creditoris nummi, qui usuras sibi stipulatus est, non inde a die oblatae solutionis steriles sunt, sed inde a die consignationis rite factae.

VII.

Thesaurus ab uno conjugum inventus, non incidit in communionem lucri et damni.

VIII.

Legata nostra majorem similitudinem habent cum Romanorum legatis per damnationem quam per vindicationem.

IX.

Cui petenti bonorum administratio ademta est ut curatorem haberet, matrimonium contrahere non potest.

X.

Juramentum de credulitate de quo Art. 1919. C. C. Art. 823. C. M. loquitur, superfluum esse, statuo.

XI.

Nullam fraudem commissionarius contra mandantem committit, si res vendendas ipse emat, vel suas res mandanti vendat.

XII.

Verba „alle de schulden" in Art. 21. C. M., ad debita et obligationes tantum pertinent, quae post transgressionem existunt.

XIII.

Art. 89. C. M. magis congruit cum systemate juris Francici quam nostri.

XIV.

Terminus quem in oppositionis libello inserere praecipit Art. 83 Cod. de rat. proc., non est talis ultra quem actio non detur.

XV.

Universitas delinquere nequit.

XVI.

Conatus perfectus (délit manqué) minore poena adfici debet quam delictum consummatum.

XVII.

Articulos 166. 167. 168. C. P. abundare, opinor.

XVIII.

Ebrietas noxiam tollit.

XIX.

Si esuriens cibum abstulerit, furtum admittit, neque applicandus videtur Art. 64. C. P.

XX.

Recte BUCHANAN. „Il n'y a pas de raison pour que l'agriculture, plus qu'une autre industrie, demande les soins particuliers du souverain."

XXI.

Recte ADAM SMITH *Wealth of nations* „Of all those expensive and uncertain projects, however, which bring bankruptcy upon the greater part of the people who engage in them, there is none perhaps more perfectly ruinous than the search after new silver and gold mines."